

*liviscuntur, cum tamen periculo adaptanda periculi de-  
precatio.* Hæc B. BRUNNEMANNVS, cuius in  
Officio Successor meusque adeo itidem Ante-  
cessor, STRYCKIVS ad dicta verba ita commen-  
tatur: *Formulas certas Orationum publicarum utili-  
ter quandoque retineri probat VOET. Polit. eccles.  
P. 1. Lib. 2. Tract. 2. Cap. 1. p. 485. addit tamen, tali  
casu consultum esse, ut Formulae illi post Concionem  
inferantur speciales necessitates, querelæ, petitiones,  
doxologiae &c. & ita precationem ex pectore fusam in-  
terdum interponere.* In sequentibus vero utilitatem  
*precum e memoria fusarum ita commendat.* Sæpe,  
imo & plerumque, maior & magis renovatus  
sensus devotionis excitatur ex maiori & profun-  
diori miseræ nostræ sensu & inde excitato ma-  
iori gratiæ desiderio ac suspiratione, cum per  
conceptus magis evidentes ac particulares, pro  
præsentis necessitatis statu particulari & spiri-  
tualium affectuum, (humilitatis, doloris, fidu-  
ciæ &c.) commotione, petitiones nostras coram  
Ipso effundimus. Non dissentit D. BROCH-  
MAND *in System. Theol. art. 37. de Invocat. Dei C. 1.  
Sect. 5. post. mod. ubi dicit: Ubi statam precandi  
formulam sequimur, oscitantius; quia variis  
occasionibus & necessitatibus ingruentibus iure  
merito variant precationum Formulae.* Hæc-  
NUS STRYCKIVS.

Ipse-